

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

LUCRETII LIBRUM ALTERUM

QUAS

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE


UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

GUILELMUS HOERSCHELMANN

LIVONUS



LIPSIAE

TYPIS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXIV

Disputabitur in hac commentatione

I. de lacunis statuendis
II. de versibus transponendis
III. de singulis locis emendandis atque explicandis.

CAPUT I.

De lacunis.

In altero Lucretii libro Lachmannus duobus tantummodo locis, post versus 164 et 600, tam certa lacunarum indicia exstare censebat, ut aliquid deesse signis in editione sua denotaret. At vero eorum, qui in Lucretii carmine emendando et explicando illum secuti sunt, nonnulli quotiens totos versus intercidisse statuerint ut perspiciatur, omnium huiusce libri qui eis truncati visi sunt locorum indicem subiciam.

Statuerunt igitur lacunas:

post v. 105	Briegerus	748	Briegerus
342	Purmannus, Pollius, Susemihlius	749	Briegerus
380	Briegerus	789	Briegerus
465	Bernaysius	819	Briegerus
501	Munroius, Pollius	874	Briegerus
528	Bernaysius, Purmannus, Pollius	902	Christius, Goebelius, Susemihlius
681	Bernaysius, Pollius	923	Susemihlius
		1071	Briegerus.

Tam gravem num fecerit iacturam haec una totius carminis pars, quoniam dignum esse videtur in quod accuratius inquiratur, in hac opera ita versabor, ut initium ab eis locis

capiam, quos aut integros esse subtiliore adhibita interpretatione mihi videar demonstrare posse, aut in integrum restituendos esse arbitrer leni facta litterarum mutatione, deinde de eis disputem, quos truncatos esse nonnullam habeat probabilitatem.

Ac primum v. 741 sq. Bentleius et perturbatos esse perspexit et in ordinem sic restituit, ut uno versiculo transposito duos locos egregie emendaret. Nam quae libri exhibent:

Nam cum caecigeni, qui solis lumina nunquam
Dispexere, tamen cognoscant corpora tactu
Ex ineunte aevo nullo coniuncta colore,

ferri non posse videntur, quia neque ipsa primordia hominum manibus tanguntur, sed quae ex illis constant, neque vero res ex illis constantes colore Epicurei carere voluerunt, sed ipsa primordia; itaque quae manibus tanguntur, eadem Lucretium nullo colore coniuncta dixisse negandum est. Iam cum e contrario post v. 748 in libris aliquid deesse manifestum esset, Bentleius versum 743 versui 748 subiecit, ut talis sententiarum nexus evaderet:

748: Quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo
743: Ex ineunte aevo nullo coniuncta colore.

Hoc omnes probaverunt praeter Briegerum in Philol. vol. XXV p. 68; is enim v. 743, ubi a Bentleio collocatus est, sanum praebere sensum negans, versuum ordine qualem libri exhibent servato, post v. 748 lacunam statuendam esse iudicavit. Atque illa, nisi fallor, sic explicari voluit: caecigeni cognoscunt corpora tactu, quanquam nullum corporum colorem oculis percipiunt; itaque non de primordiis sed de ipsis rebus Briegerus hic poetam loqui putat: „von *gewordenen* Wesen.“ Non recte igitur Pollius in Philol. XXVI p. 321 Briegeri sententiam interpretatus esse videtur, cum de primordiis eum cogitare statuit. (Ceterum ubicumque de Pollii commentationis ea parte loquar, quae in Philol. vol. XXVI exstat, paginae numerum adiciam voluminis numero omisso). Sed Briegerianam illam interpretationem nullo modo probare possum. Primum in eis quae defendit verbis inesse id, quod ille voluit, equidem nego. Nam quod simpliciter certe poeta

dixit, 'corpora nullo coniuncta colore', id artificiosa quadam et spinosa interpretatione sic quasi contorquere et deflectere studet, ut idem significare videatur atque hoc 'corpora quae nonnullis nullo coniuncta colore videantur'. Haec autem quoniam vix negaveris valde inter se differre, suo iure mihi agere videtur, qui poetam, si illud dicere voluisset, apertis id verbis enuntiaturum fuisse contendat. Praeterea nescio an nobili Lucretii doctrinae obscuritatem magis et tenebras afferat quam lumen, qui illud concedit. Nam quod alii et docuerunt et docent philosophi, quorum facile princeps est sapiens ille Regimontanus, ea quae videndo audiendo sentiamus rerum non esse propria, sed tum demum gigni, si animantium sensus lacessantur, hoc ab Epicureorum ratione alienum est, qui omnia ea in corporea primordiorum natura, colorem autem in atomorum collocatione posita esse plane exposuerint. Quare si ea 'nullo colore coniuncta' Lucretium dixisse nobis persuaderemus, quae aciem animantium non compungunt, vereor ne ipse sibi in dicendo philosophus obstrepere videretur. Sed aliud Munroius affert, quod dubitationem possit inicere; is enim, quae quattuor praeterea locis in Lucretii libris exstant, verba 'ex ineunte aevo' de animalium semper vita dicta esse observavit; quae, si Bentleium sequimur, ad aeternum temporis spatium pertinebunt. At vero accuratius circumspicienti, quomodo Lucretius aevi vocabulo usus sit, facile apparebit, etiam alibi eum vocem illam promiscue in usum vocasse. Ut semel, ni fallor, dicit 'aevum prius', semel 'aevum futurum', illud I, 553 de aeterno tempore, hoc III, 486 de vita humana. Sic ubicumque de aevo immenso magno longinquo loquitur, ad omne temporis spatium haec referenda sunt; contra II, 1141 verbis simillimis usus 'grande aevum' animalibus ascribit. Similis ratio intercedit inter versus III, 904 et II, 16. Quae cum ita sint, propter aevi vocabulum Bentleii coniecturam non reiecerim, praesertim cum etiam alia explicandi via pateat: namque quomodo II, 116 poeta minuta quae in solis lumine moventur corpora dixit per *inane* misceri, quanquam aëre circumdata sunt, sic etiam hic poterat figura uti ea, ut ex ineunte quasi *vita* colore carere contenderet, quae aeterna esse abundanter ipse docuerat. Quae cum

ita sint, me iudice neque a Bentleio dissentiendum neque post v. 748 lacuna statuenda est.

Sed etiam post v. 749 Briegerus aliquid deesse suspicatur. In libris enim Vossianis quae exstant:

Omnis enim color omnino mutatur et omnis;
Quod facere haud ullo debent primordia pacto,

ea iam Itali, quos editiones nostrae secuntur, sic optime correxerunt:

Omnis enim color omnino mutatur in omnis;
Quod facere haud ullo debent primordia pacto.

Briegerus autem in Philol. vol. XXV, p. 69 primum non 'in omnes' sed 'in omnem' contendit Lucretium scribere debuisse, quod nunc missum facio; tum vero v. 750 omnino negat apte eum qui antecedit excipere, ut potius huiusmodi versum intercidisse putet:

Omnis enim color omnino mutatur, et omnis
[Res dum alium capiunt, mutare ipsae quoque debent].

Sed eis, quae iam Pollius p. 321 ad editionum scripturam defendendam attulit: „bei den Farben findet ein Uebergang der einen in alle andern statt; bei den Atomen darf ein solcher Uebergang durchaus nicht angenommen werden", haec fere addi posse videntur: in versu priore quasi unam efficiunt notionem 'omnino mutatur in omnis', quibus verbis mutabilitas significatur penitus insita coloribus; iam vero quoniam ab aeterna primordiorum natura longe mutabilitatem omnem abesse iam supra I, 792 eisdem quae hoc loco iteravit verbis satis demonstraverat:

Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
Continuo hoc mors est illius quod fuit ante,

quidni dicere potuit Lucretius, ea quae mutari possent, a primordiis prorsus diiungenda esse:

Quod facere (h. e. mutari) haud ullo debent primordia pacto.

Sed aliud quod gravius est accedit argumentum: omnia haec e primo libro desumpta esse, ubi eadem versibus 789—793 pertractantur. Ac brevitate quadam, ne dicam obscuritate, eadem qua in secundo libro etiam in primo poetam usum esse vix negabit, qui sententiarum nexum recte perpenderit.

Namque in eis, quae antecedunt, apte nimirum de quattuor Empedoclis elementis dicitur:

Nec cessare haec inter se mutare, meare
A caelo ad terram, de terra ad sidera mundi;

tum itidem pergit poeta:

Quod facere haud ullo debent primordia pacto,

quanquam per se perspicitur brevius eum quam subtilius locutum esse, quandoquidem 'meare de caelo ad terram', similia, de primordiis neque affirmari neque negari possunt; itaque nisi 'quod facere' eodem quo supra modo explicamus 'omnino in aliquam rem mutari', ineptias Lucretio ascribimus. Quae cum ita sint, equidem post v. 749 ullum lacunae indicium exstare negaverim.

Iam ad v. 817 sq. progredior. Hunc locum, qui est de coloribus, Susemihlium et Briegerum optime administrasse multoque rectius explicasse quam antea factum erat, libenter confiteor; sed tamen cum de singulis rebus nonnullis tum maxime de lacunis aliter mihi statuendum videtur.

Primordiis nullum esse colorem inde a v. 757 sic fere demonstratur: si ipsis primordiis colorem attribuamus, explicari non posse, quomodo fiat ut rerum permultarum continuo colores mutari oculis videamus. Nam si uno eodemque colore singulas rei cuiusdam atomos esse sumimus, intellegi non potest, cur illa alium aliumque colorem asciscat; sin vero ipsa singularum rerum primordia vario colore sunt, iam aliae exoriuntur difficultates, quarum una continetur versibus 776—783, altera 784—787, tertia 788—794, quarta denique 817—825, qui a suo loco huc aberravisse sane videntur. Iam vero complures ante hoc quartum argumentum versus excidisse Briegerus mihi non persuasit. Cf. Philol. vol. XXV p. 72. Quid enim inde a v. 776 Lucretius refutare studebat? Singularum rerum primordia vario colore tincta esse. At vero singulas res omnes e variis constare atomorum generibus supra multis argumentis demonstravit. Utrum igitur refellendum sibi proposuit? Genera illa quae rem efficerent diversa esse, an vero ipsa singulorum generum elementa colore variare? Nimirum hoc voluit; nam si illud refelleret, quod priore loco

posui, neque coloris neque atomorum in natura difficultas esset posita, sed in placito eo, de quo supra disputavit, res omnes e variis atomorum generibus constare; apertissime autem patet, ipsam primordiorum naturam çolorem respuere, et Lucretium hoc refellere, singula singulorum generum primordia vario esse colore. Iam nunc facile perspicitur, quid sibi velit quartum illud argumentum; nihil enim aliud valent 'certae figurae' nisi 'certa genera'; saepissime eadem ratione de figuris atomorum, de levibus, de hamatis, de perplexis primordiis loquitur, ut eorum figuras vel formas prorsus eodem quo genera sensu usurpatas esse videamus. Itaque sic quarti argumenti exordium interpretor: praeterea si non certis atomorum generibus certi colores sunt, sed singulae eiusdem generis atomi colore inter se discrepant, tum e. q. s. Quoniam igitur nihil aliud hic poeta refutare videtur nisi illud quod supra v. 776 refellere coepit, quanquam accuratius hoc loco sententiam adversariorum exposuit, tamen complures ante hos versus deesse nihil indicare videtur.

Sed etiam singula argumenta Briegerus putat truncata esse. Velut post v. 819 haec fere desiderat:

Sic quoque si esse putas primordia tincta colore:

quae ne minimam quidem probabilitatem habent, immo vero efficiunt, ut quod plane dictum est, putida diligentia iteretur. Nam quod Briegero supplendum videtur, id in ipsis quae scripta exstant verbis inest: omnia principiorum formamenta queunt in quovis esse nitore, h. e. si unius cuiusque figurae primordia vario colore sunt, alia alba, alia nigra, alia caerulea, tum ne hoc quidem intellegi potest cur, quae ex eisdem atomorum generibus res constant, unum eundemque colorem servent. Iam vero si quis primordiorum colores valde inter se differre sumpserat, cur adicere idem debuerit, se omnino colorata esse primordia sumpsisse, — hoc non dispicio.

Tertii argumenti, quod continetur versibus 788—794:

Tum porro quae ducit et inlicit ut tribuamus
Principiis rerum non numquam causa colores,
Occidit, ex albis quoniam non alba creantur,
Nec quae nigra cluent de nigris, sed variis ex,
Quippe etenim multo proclivius exorientur

Candida de nullo quam nigro nata colore,
Aut alio quovis, qui contra pugnet et obstet,

tres novi interpretationes satis inter se discrepantes: unam Lambini, alteram Creechii quem Susemihlius sequitur, tertiam Wakefieldi quem Munroius. Ac primum Lambinus colorum tribuendorum causam eam putat, quae v. 790 expressa est: ex albis quoniam non alba creantur sq. Sed re fere contraria hominum animos in errorem incurrere ipse Lucretius docuit versibus 731 sq., cum hoc maxime caveri voluit,

ne forte haec albis ex alba rearis
Principiis esse, ante oculos quae candida cernis.

Quam ob rem multo rectius Creechius et Wakefieldus poetae verba explicaverunt, qui id quod saepe videmus, ex albis alba creari, similia, pro causa haberent, qua permoti falso homines primordia colorata esse sibi persuaderent. Sed de versu 790 illi inter se dissentiunt. Wakefieldus enim sic interpretatur: error ille cadit, quia cotidie oculis videmus res albas ex rebus non albis creari, velut spumam marinam ex stillis caeruleis. Contra Creechius id ipsum, quod nos permovet ut primordiis colores tribuamus, cadere existimat, si id statuamus, quod v. 776 continetur, vario colore singularum rerum primordia esse, quoniam tum neque alba ex albis neque nigra e nigris creari possint, sed e variis utraque. Atque hanc Creechii sententiam rectissimam esse duabus rebus comprobari potest: primum si Wakefieldum sequimur, Lucretius v. 791 dicere non debebat 'sed variis ex', utpote quod nihil ad rem faceret, sed simile aliquid atque in v. 825: 'aut alio quovis uno varioque colore'; at quod dicit 'variis ex', hoc negari nequit ad v. 776 spectare. Altera causa est quod, si recte iudicasset Wakefieldus, miro modo impeditus esset orationis cursus: nam ita v. 790 sq. 'ex albis', 'de nigris', 'variis ex' non ad primordia, sed ad res quae ex illis constant spectarent; at vero quod statim sequitur de primordiis dici neque Wakefieldus negavit neque potest negari; sin autem Creechio assentimur, et supra et infra de ea dicitur ratione, qua e primordiis res gignantur. Suo igitur iure Susemihlium in hoc loco explicando Creechium secutum esse puto; paulo autem fusius haec exponere visum est, quia varias illas sententias nemo hucusque inter se contulit.

Sed iam ad Briegerum redeo, qui post v. 789 vel unum vel nonnullos versus deesse censuit, quibus, quaenam illa erroris causa esset, exponeretur; atque sic fere verba Lucretiana restituenda esse opinatur:

Tum porro quae ducit et inlicit ut tribuamus
Principiis rerum non numquam causa colores,
[Quod nisi par rebus color ipsis materiae sit
Corporibus, nequeant rebus constare colores]
Occidit, ex albis . . . .

Atque hoc ei concedo: si scripsisset simile aliquid Lucretius atque accuratius, de quanam 'causa' ageret, significasset, planior paulo et dilucidior sententiarum nexus evasisset; sed necessario poetae id adiciendum fuisse nego. Nam primum initio totius disputationis v. 731 sq., qua de causa primordia colorata esse viderentur, explanaverat; tum ex eo, quod opinioni illi opponitur, unusquisque, de quanam re agatur, perspicere potest. Quae enim magis possunt inter se diversae ac contrariae res esse quam haec: albis ex non alba creantur, atque: ex albis tantum alba creantur? Itaque ne in his quidem versibus lacunam esse concedendum videtur.

Venio ad versum 342, ante quem aliquid deesse voluerunt Purmannus, Pollius, Susemihlius. Purmannus enim in Iahnii annalium vol. LXVII p. 672 totum hunc locum ita comparatum esse iudicavit, ut v. 342—346 non ad ea quae secuntur pertineant, sed ad ea quae quondam praecessisse putat. Argumento autem illo, quod nunc desiderari dicit, exposuisse poetam opinatur, rerum inanimatarum genera diversa esse, ut deinde animantibus ea subnecterentur, quae etiamnunc in libris exstant: 'Praeterea genus humanum mutaeque natantes squamigerum pecudes' sq. Assensi sunt Pollius in commentationis quam de artis vocabulis Lucretianis scripsit p. 44 et Susemihlius in Philol. vol. XXIV p. 439. Sed mihi unum obstare videtur, ne illud probemus. Nam quae v. 347—380 exnupontur artissime inter se cohaerentia, si a versibus superioribus prorsus seiungimus, novi cuiusdam et eiusdem gravissimi argumenti initium erit v. 347: 'quorum unum quidvis generatim sumere perge'; his autem multo magis continuari quod antecedit, quam incipi novum argumentum

videtur. — Porro quod Pollius 'praeterea' vocem ferri non posse dicit nisi lacunam statuamus, vix cuiquam persuadebit; neque enim Lucretius res sola ratione indagatas ab eis, quas oculis cernimus, manibus prehendimus, vel ut philosophorum sermone utar, ea quae 'a priori' disputantur, ab eis quae 'a posteriori' exponuntur, tam distincte seiungere solet, quin ea 'praeterea' voce coniungere possit: conferas II, 757 sq. I, 968 sq. Quare certum lacunae indicium non video. Aliam vero viam ingressi sunt Marullus, alii, qui orationem male conexam coniectura potius coartare studerent; nam quae libri exhibent: *Praetere genus humanum . . . . Quorum unum quidvis*, ea Marullus sic emendari voluit, ut *Horum* scriberetur. Contra Lachmannus, Winckelmannus p. 11, Munroius, cum in voce quae est 'praetere' verbum aliquod latere arbitrarentur, varias proposuerunt coniecturas: 'parturiunt', 'praetereast', 'praestat rem', quae neque mutationis lenitate neque rei probabilitate commendantur, ut equidem non dubitem Marulli coniecturam ceteris praeferre; nam quod obicit Lachmannus, Lucretium 'mutasque natantes' scripturum fuisse, hoc et ipse cunctanter proferre videtur, et ceteris, quae Munroius sagaciter investigavit, similiter inversae orationis exemplis refutatur. Sed aliam mihi suspitionem moverunt l. IV versus 123 sq.:

Praeterea quaecumque suo de corpore odorem
Expirant acrem, panaces, absinthia taetra,
Habrotonique gravis et tristia centaurea,
Quorum unum quidvis leviter si forte duobus . . .

Cetera quae v. 126 sequebantur perierunt, ut certum de toto enuntiato iudicium fieri non possit; sed inter ea quae relicta sunt et illum quem tractamus locum quanta intercedat similitudo, per se patet. Utrobique enim pronomen exspectamus demonstrativum, scriptum est relativum. Consideranti mihi praeterea, quanta verborum moles superiore illo loco coacervata sit, quae rectum orationis cursum deflectere possit, dubium videtur, utrum omnino quidquam mutandum, an potius, — quod saepe Munroium fecisse modo dixi — anacoluthia quaedam admittenda sit. Hoc etsi pro certo haberi non posse scio, tamen pronuntiare licebit, quoniam loci illius e quarto

libro desumpti similitudo digna videtur, quae diligentius quam factum est attendatur.

Versus 381, qui sic in libris legitur:

Perfacile est animi ratione exsolvere nobis,
Quare ....

quoniam nullo orationis vinculo cum eis quae antecedunt cohaeret, hominum doctorum acumen vehementer exercuit. Lambinus scripsit: 'Perfacile est iam animi', quod Susemihlius nuper defendit in Philol. vol. XXIV, p. 441; Lachmannus, quia animi rationem semper sensus notioni opponi videbat, 'animi' correxit in 'tali', Bernaysius 'parili' substituit; Briegerus denique ante hunc versum lacunam statuit. At Pollius p. 315, ubi exsolvendi verbum sic a Lucretio non usurpari ostendit, coniectura valde probabili proposuit 'ratione*m* exsolvere'. Sed quod pro 'animi' scribi vult 'porro', aliquanto propius ad codicum vestigia accedit 'itidem': quare sic fortasse rectius scribetur:

Perfacile est itidem rationem exsolvere nobis.

Nam quod Susemihlius similem Bernaysii coniecturam propterea sibi displicere dicit, quia *parile* argumentum in eis quae antecedunt neque solum sit neque in fine disputationis positum, — hoc subtilius quam veri similius disputavit; nam cum per totam hanc libri partem de differentia atomorum agatur, et inde quid fluxerit demonstretur, *similia* sunt sine dubio omnia quae et antecedunt et secuntur. Denique, ut hoc addam, lacuna illa Briegeriana prorsus videtur inutilis esse.

Videamus nunc, num versum 874 recte is qui sequitur excipiat. Lucretius postquam 'sensilia' ex 'insensilibus' gigni exposuit, v. 926 sic pergit:

tum praeterea, quod fugimus ante,
Quatenus in pullos animalis vertier ova
Cernimus alituum, vermisque effervere terram
Intempestivos quom putor cepit ob imbris.

Redit igitur ad eandem rem, quam initio totius disputationis attigit v. 871 sq., de terra vermes nasci. Quaerendum autem est, quid sibi velint verba illa: 'quod fugimus ante'. Ac primum quae contra Lachmanni sententiam Briegerus in Philol. vol. XXV p. 83 disputavit, valde probanda sunt: neque enim ea verborum insolentia poetam usum esse credibile est, ut ad

v. 886 respiciens 'quod fugimus ante' diceret pro 'quod animum interdum respuere supra docui'. Munroius porro nunc Wakefieldum sequitur, qui '*quo* fugimus ante' esse voluit pro 'quo confugimus ante', ut ad v. 871 sq. poeta spectare videretur. Sed ne hoc quidem veri simile est, quoniam nulla cogitari causa potest, cur ad sententiam illam et gravissimam et notissimam, quam quasi fundamentum substruxit animorum doctrinae, se 'confugisse' dicat. Denique Briegerus ipse, fugiendi verbum, quod difficile videtur explicatu, e corruptela natum esse ratus, scribendum proposuit: 'quod vicimus ante'. Sed iam nova exoritur difficultas; nam quod mox sequitur sensus crescentis exemplum ab ovis desumptum, id hucusque nullo verbo Lucretius attigit: id igitur supra se vicisse contendit, quod ne commemoravit quidem. Quam ob rem Briegerus, ut id quod ipse excogitaverat confirmaret, ea in suspitionem vocavit, quae aptissime inter se cohaerentia inde a v. 871 scripta exstant; haec enim ante v. 874 olim exstitisse putat:

Tum verti in pullos animalis cernimus ova.

Verum enim vero ista progredientes via vereor ne tot fere lacunas Lucretianas quot versus olim habituri simus. Ac mihi quidem id ipsum, quod de ovi exemplo supra omisso Briegerus disputavit, ansam praebere videtur, ut veram poetae sententiam indagemus. Etenim argumentis illis, quae versibus 927—930 continentur, quoniam neque eadem prorsus res demonstratur neque eidem omnibus temporibus philosophi usi sunt, velut ovi exemplum illud e vetustissimis Orphicorum mysteriis originem duxit (cf. Reisackerum 'Epicuri de animorum natura doctrina' p. 6), facile fieri potuit quod factum esse videmus, ut alterum disputationis initio, alterum sub finem poeta in usum vocaret; itaque altero loco, quod iam relaturus sit supra se praetermisisse, suo iure contendit; sic enim verba ea, quorum causa totam hanc quaestionem instituimus, 'quod fugimus ante' explicari velim, ut idem valeant atque haec 'quod supra omisi' vel 'quod supra commemorare nolui'. Itaque non quae iam exposuerat repetere, sed quae nondum dicta erant proferre voluit: attamen quoniam in sensus ex 'non sensu' gignendi exempla oratio inciderat, etiam illud breviter perstrinxit quod supra explanaverat, terram vermes

procreare. Saepe enim hoc in Lucretii libris factum esse videmus, ut occasione oblata vel idem quod antea dixerat iteraret vel novum ei argumentum subiceret; quod non numquam ita fugit criticos, ut versuum ordinem turbatum esse censerent: cuius rei exemplum luculentissimum infra afferam p. 22. Sic explicandi sunt etiam v. 963—972, ubi recte Christius librorum scripturam 'praeterea' restituit. — Sed iam ad eum versum regrediamur, de quo nunc maxime agimus. De quo quam protuli, si aliquo modo probari sententia potest, cum id perspicuum est, lacunosam non esse orationem, tum alia quadam Briegeri coniectura carere possumus; is enim quoniam nullum novum argumentum adiungi putat, non 'tum praeterea', sed 'cum praeterea' scribendum esse ducit. Accedit quod ista coniectura probata enuntiatum evaderet miro modo implicatum et perplexum: Cum praeterea . . . , quod . . . , quatenus . . . . quom . . . . , scire licet.

In v. 465, qui sic in libris scriptus exstat:

. . . . , minime mirabile *debet:*

Nam quod . . . . .

Lachmannus, cui assentiuntur et Goebelius Obs. p. 17 et Pollius p. 317, verius putavit extremum v. 465 verbum corruptum esse, quam ante eum aliquid periisse. Bernaysius autem inter 465 et 466 lacunam statuit. Ac mihi quoque illud veri similius videtur, praesertim cum 'debet' vocabulum in exteriore paginae margine in archetypo scriptum fuerit: (est enim haec archetypi pagina numero LXV). — Sed quid potissimum illic restituendum sit, utrum 'habebis' quod Lachmanno placuit, an 'habeto', quod Munroius proposuit, an 'id escit' quod Goebelius voluit, vix certo affirmari poterit. Fortasse ceteris praestat coniectura Lachmanniana, quae et ad litterarum vestigia proxime accedit et dicendi usui Lucretiano maxime consentanea est.

Iam quod post v. 1071 Briegerus in Philol. vol. XXV p. 90 aliquid deesse putavit, refutavit hoc Pollius p. 327, cui equidem assentior. Unum addere liceat, similia orationis non prorsus concinnae exempla apud Lucretium saepius usu venire; cf. versus 456—463, ubi initio primordia illa neque levia neque perplexa esse dicuntur, sub finem autem sic argumentum concluditur:

'facile ut cognoscere possis, non e perplexis sed acutis esse elementis', — ut alterum illud prorsus omissum sit.

De versu 105, post quem deesse aliquid Briegerus suspicatus est, infra uberius disputabo in capite tertio; de v. 923 in capite altero.

Nunc vero de eis dicendum est locis, quibus lacunas statuendas esse vel certum sit vel non improbabile.

Versibus 62—164 postquam Lucretius primum assiduo motu primordia per inane ferri rettulit, tum quaenam celeritas illis reddita sit exposuit, iam v. 165 sic pergit:

Nec persectari primordia singula quaeque,
Ut *videant qua quicque geratur cum ratione.
At quidam contra haec ignari materiaï
Naturam non posse, deum sine numine, *rentur . . .

Ante hos vel unum vel complures versus periisse Madvigium secutus Lachmannus statuit; assensi sunt Purmannus in Iahnii annal. vol. LXVII p. 671 sq., Goebelius in Obs. p. 8, Munroius, Susemihlius in Philol. vol. XXIV p. 41 sq., Pollius p. 312, quanquam valde diversis rationibus lacunam explere student, cum alii de hominibus, alii de dis, alii denique de ipsis primordiis agi opinentur. Prorsus aliam viam Bernaysius ingressus est, qui una litterula mutata, duobus versibus transpositis sic locum constituit:

167: At quidam contra haec ignari materiaï
165: Nec persectati primordia singula quaeque,
166: Ut videant qua quicque geratur cum ratione,
168: Naturam non posse deum sine numine rentur...

Ingeniosam hanc speciosamque Bernaysii coniecturam ad unum omnes repudiaverunt, sed num quisquam refellerit equidem dubito. Ac primum quod Goebelius Obs. p. 8 obicit, ne Epicureos quidem persuasum habere, singula se rerum primordia persectari posse, 'persectari' hoc loco non sic explicandum est, ut idem sit atque oculis videre, manibus prehendere: sed primordia singula persectari ei dicuntur, qui non satis habent de eis quae cotidie ante oculos sunt rebus garrire, sed ratione sagaci, cogitando ac pensitando ad rerum usque primordia penetrare student, ut intellegant, qua quicque geratur cum ratione, h. e. quali sint figura, quanta celeritate moveantur, similia; qua quidem

interpretatione adhibita sanum praebent sensum, quae Bernaysius coniciendo effecit. Nam quod Purmannus monuit, Lucretium dicere debuisse: nec persectati 'ut viderent', neque vero 'ut videant', hoc satis refellitur versibus I, 307 sq.:

At neque quo pacto persederit umor aquaï
Visumst, nec rursum quo pacto fugerit aestu.

At mihi aliud suspitionem movit. Ubicumque enim eodem modo 'materiaï' in fine versuum positum est, quod plus quadragiens factum est, semper, nisi fallor, aut sequitur aut antecedit vel corpora vel copia vel concilium cet., id quod hoc uno loco desideratur. Praeterea si recte eum novi, Lucretius non scripsisset 'ignari materiaï', sed vel 'ignari materiaï virium', 'naturae', similia, vel 'ignari materiaï corpora quali sint natura', similia. Verum accedit argumentum gravius hoc: quonam sententiae vinculo haec omnia cum superioribus cohaereant, propterea maxime obscurum est, quia ad quamnam rem spectet 'contra haec' in v. 167 nescimus; nam ad motus celeritatem, quae proxime antecedit, respicere nemo certe probabile reddet. Sin vero consideramus versibus 80—141 hoc potissimum demonstratum esse, atomorum motus sponte sua fieri (84, 128 cet.) et assiduos esse (95—97), talem fere sententiarum nexum fuisse veri haud dissimile videtur: At quidam contra haec, ignari materiaï corpora assiduo motu et sponte sua semper volitare, neque atomorum naturam diligenter et accurate persectati, non intellegunt quomodo natura hunc mundum creare potuerit. Quam ob rem hoc loco equidem suspicor unum tantummodo versiculum post v. 165 excidisse, huius fortasse similem:

At quidam contra haec, ignari materiaï
[Corpora sponte sua volitare invicta per aevom],
Nec persectati primordia singula quaeque,
Ut videant qua quicque geratur cum ratione,
Naturam non posse deum sine numine rentur . . .

Atque haec omnia illum de motus assiduitate locum excipere puto, ut post v. 141 collocanda sint: neque enim ullum in toto libro locum novi, ubi aptius illa dici quam hic potuerint; quoniam modo universam motus naturam exposuit, atque in eis quae deinde secuntur singillatim eius celeritatem cursum

declinationem descripturus est; quare ne et ea quae artissime inter se cohaerent interrumpantur et ipsi versus illi perspicuitate careant, transponendi sunt v. 167—183 ante v. 142.

Iam ad aliam venio quaestionem non minus spinosam et intricatam, de versibus 529—531. Bernaysius, quem secuntur Purmannus in Qu. Laub. II p. 5 et Pollius p. 318, hoc quoque loco multorum versuum lacunam statuit. Ac ne illud quidem constare videtur, ad quamnam rem versus illi spectent. Lachmannus enim haud eleganter repeti dicit ea quae antecedunt; Christius p. 17 poetam de eis versibus cogitavisse arbitratur, qui sub finem h. l. secuntur 1105 sq.; Munroius respexisse eum potius ad l. I v. 1013 sq. asseverat. Itaque Lachmannus ea quae praecedunt uncis inclusit, Munroius scripsit 'versibus ostendens', idem Bockemuellerus in Lucretianis p. 4, Christius vero 'nec secus ostendam'. Goebelius in Obs. p. 10 cum et omittit versus duos et duos addit, prorsus novum efficit sententiarum ordinem. Briegerus denique in Philol. vol. XXIV p. 449 ab altero libro hos versus prorsus alienos esse et ex libro primo huc aberrasse censet. In tanta sententiarum multitudine quanquam aegre sustineo etiam novam proferre, tamen facere non possum quin aliter de hoc loco iudicem. Primum enim illud maxime quaerendum est, quid eis quae habemus verbis effici posse videatur. Dicit poeta se ostenturum esse, ex infinito usque tempore summam rerum teneri corpusculis materiae, quod statim accuratius explicat: 'protelo plagarum undique continuato'. Pertinent igitur haec ad argumentationem quandam, qua id maxime demonstretur, quomodo per tantum temporis spatium rerum summa teneri potuerit, cur nondum mundus hic miserrime perierit. De hac autem re in eis quae proxime secuntur poeta non loquitur; nam v. 532—540 exponit singulorum generum animalia infinita esse numero, tum v. 541—568 singularum rerum primordia ostendit coalescere non posse, nisi infinita sint. Infinita autem ea esse v. 522—525 contenderat, ut haec proxime inter se coniuncta esse appareat. Sed vide quae tum post v. 568 subiciantur: exponitur *non perire mundum*, quia aequo certamine bellum geratur a motibus exitialibus et genitalibus. Nonne ipsam illam argumentationem,

quam supra desideravimus, hic deprehendimus? Nonne de una eademque re, quomodo rerum summa adhuc teneatur, utroque agitur loco? Quare quae superiore loco totum sententiarum nexum evertunt, eadem hoc inferiore loco aptissimum reddunt rerum ordinem. — Sed etiam alia de causa, antequam de transponendis illis versibus cogitarem, versu 569 sententiarum tenorem interrumpi sensi. Nam de infinitis singulorum generum primordiis quae disputanda erant, ea v. 567. 568 absoluta esse planissime poeta significavit; at v. 581—729 prorsus nova res tractatur; quas inter partes qui exstant versus illi 569—580 quo pertinerent, valde videbatur obscurum esse. Nam qui pergere poterat poeta: 'nec superare queunt motus itaque exitiales', postquam motus exitiales in superioribus nullo verbo commemoraverat? Quae cum ita sint, mihi quidem veri simillimum videtur, versibus 529—531 ante v. 569 collocatis sic omnia restituenda esse:

529: Versibus ostendam corpuscula materiaï
Ex infinito summam rerum usque tenere,
Undique protelo plagarum continuato;
569: Nec superare queunt motus itaque exitiales
Perpetuo neque in aeternum sepelire salutem,
Nec porro rerum genitales auctificique
Motus perpetuo possunt servare creata.
. . . .

Iam si quaerimus, id quod restat, etiamsi versus illos transponendos esse veri non dissimile videatur, utrum 'versibus' quod in libris exstat retineamus et antea aliquid intercidisse statuamus, an vero Lachmannum secuti vel 'protinus' scribamus vel 'praeterea', similia, ne Lachmannus quidem, quanquam in editione 'versibus' correxit satis id probabile esse negavit, idque mihi quoque praeferendum esse videtur, quanquam eas, quae omnem dubitationem tollant, causas deesse video.

Restat ut de tribus locis dicam, quos truncatos esse non improbabile videtur, quanquam satis certis id argumentis demonstrari non potest.

V. 902 sq. in libris sic scripti sunt:

Deinde ex sensilibus qui sensile posse creari
Constituunt porro ex aliis sentire sueti,

Mollia cum faciunt; nam sensus iungitur omnis
Visceribus nervis venis; quae cumque videmus
Mollia mortali consistere corpore creta.

Hic manifestas emendationes: 'suetis' in v. 903 Lambinus, 'cuncta' in v. 905 Lachmannus proposuerunt. Nam multo probabilius hoc est quam 'cuique', quod Munroio placuit, quia ad rem demonstrandam multum valet, *omnia* quibus sensus iungitur mollia et mortalia esse; contra *omnium*, neque vero *nonnullorum* tantum animantium viscera mollia esse non est quod moneatur. Cetera Lachmannus sic emendavit: 'Deinde ea, seminibus ...... Mollia iam faciunt'; Bernaysius: 'Deinde ea, sensilibus ...... Mollia conficiunt'; Goebelius Quaest. p. 14: 'Deinde ea, sensilibus .... Mollia iam faciunt'. Neque equidem dubito quin Goebelii coniectura ceteris praeferenda sit, quoniam et *sensilibus* defendi potest et *conficiendi* verbum sic a Lucretio non usurpatur. Contra Christius p. 17, Susemihlius in Philol. vol. XXV p. 77, denique ipse Goebelius verius putant, post 903 excidisse versum, quem Goebelius huius similem fuisse arbitratur: 'Semina constituunt illi mortalia rerum'. Sed per se necesse non erat ut ante v. 904 *mortalia* etiam illos facere primordia ipsis verbis exprimeretur; nam omnia, quaecumque mollia sunt, eadem mortalia esse cum per se patet ex Lucretii ratione tum v. 859 sq. dilucide illustratur; itaque supra dicere poterat 'mollia iam faciunt', infra 'mollia .. mortali corpore', pergere deinde: 'sed tamen esto iam posse haec aeterna manere'. Itaque lacunam exstare prorsus negarem, nisi in ipsa librorum scriptura duo viderentur relicta esse vestigia versus quem nunc desideramus; nam ut utrumque verbum sic commutaretur, quasi apodosis quaedam interiecta fuisset, id non videtur casu factum esse. Quare probabilius videtur versum excidisse. Nam quam Pollius p. 323 proposuit coniecturam, eam probare non possum, quia et multo violentior est quam Goebelii illa quam supra attuli, et ea corrigit in quibus nulla subest suspitio; nam quod recte vituperat iteratum, id ipse demum creavit, cum post 'constituunt' non interpungeret. Praeterea vel haec mihi quam maxime e more Lucretiano dicta videntur: '*sensilibus* qui *sensile* posse creare' ....

Sequitur v. 679. Quem qui in libris excipit, ei Lachmannus vidit locum esse post v. 659. Sed cum etiam ea quae restant sicut in codicibus leguntur intellegi nequeant:

679. Denique multa vides, quibus et color et sapor una
681. Reddita sunt cum odore inprimis pleraque dona.
Haec igitur variis debent constare figuris:

Lachmannus 'in privis pluraque dona' coniecit, Goebelius Quaest. p. 11 'in primis pluraque dona', Munroius denique sic scripsit mutata etiam interpunctione: 'Reddita sunt cum odore. In privis pleraque dona Haec igitur variis debent constare figuris'. Ac primum Munroii coniectura, quanquam primo aspectu probabilis videatur, tamen accuratius rem inquirenti reicienda est. Nam 'haec' in v. 682 non ad colorem et saporem, sed ad ipsas res quibus color et sapor redditi sunt referendum esse, ex sententiarum nexu perspicitur; 'igitur' autem, si cum Munroio facias, sensum non habet. Neque enim si eisdem rebus color et sapor tributi sunt, inde sequitur colorem et saporem variis figuris constare, sed res illas varia elementa habere. Iam Lachmanni coniectura displicet, quia inconcinnam reddit orationem: '*quibus*, . . *in* privis'. Goebelius denique quod voluit, id nisi ipsius interpretationem adhibuerit, nemo intelleget; sic enim interpretatur: 'multa vides, quibus imprimis tria haec reddita sunt, odor sapor color, interdum etiam plura dona'! Quod omni caret probabilitate.

Quapropter Bernaysius de emendatione desperans post v. 681 aliquid intercidisse statuit; cui Pollius p. 320 assentitur, nisi quod post 'inprimis' lacunam incipere mavult sic:

. . . . odore, in primis . . . .
. . . . pleraque dona.

Mihi quanquam non prorsus veri dissimile videtur, in verbis quae sunt *in primis* gravius mendum latere, tamen quia neque coniecturas ab aliis prolatas probare possum neque quid probabilius esset ipse inveni, facere nequeo quin de lacuna cogitandum esse concedam.

De tertio denique loco, v. 501, conferantur ea quae Pollius de art. voc. p. 62 disputavit, quibus nihil habeo quod addam; recte fortasse Munroius suspicatus est post v. 501 aliquid periisse.

Haec habui, de lacunis in altero libro Lucretiano statuendis quae disputarem. Ad quas ne confugiamus, ubicumque paulo obscurior sententiarum nexus est, cum quam maxime ni fallor cavendum sit, eorum, qui in hoc libro nonnullis truncati visi sunt, locorum maiorem partem nullam fecisse tam gravem iacturam certis argumentis probare studui.

CAPUT II.

De versibus transpositis.

Permultos versus in Lucretii libris a suo loco aberravisse et alienum in verborum ordinem irrepsisse inter omnes constat. Neque facile luculentiora ullius corruptelarum generis exempla etiam ab eis indagata sunt, qui post Lachmanni operam incomparabilem de Lucretii libris emendandis bene meriti sunt. Certe nonnullos illi locos transponendo sic in integrum restituerunt ut, postquam semel sententiam suam exposuerunt, nemo contra dicere auderet. Atque in hoc altero libro quin recte Lachmannus v. 6 ante 5, 680 ante 660 collocaverit, nemo dubitat. Sed etiam v. 476 ab eo aptissime ante v. 474 traiectum esse, nequiquam Goebelius in Obs. p. 39 et Munroius negaverunt, quos refutavit Pollius p. 317. De versu 743 ante 749 transponendo cur Bentleio et Lachmanno assentiar, supra exposui. Porro v. 1170—1172 post v. 1167 a Lucretio scriptos esse nemo est quin Bergkio, a versu autem 654 statim procedendum esse ad v. 660 nemo quin Munroio concesserit. Sed etiam Briegeri et Susemihlii sententia, qua quidem v. 817 sq. ad eam pertinere argumentationem credunt, quae versibus 776—794 continetur, veri simillima est. Denique v. 663 recte Briegerum post 660 collocasse quanquam Pollius p. 319 negavit, illud tamen inde commendatur, quod aptissime fulcitur sententiarum ordo, si Briegerum secuti haec probamus:

660. Saepe itaque *ex uno* tondentes gramina campo
663. *Ex unoque* sitim sedantes flumine aquaï.

At vero de Reisackeri sententia et aliis et mihi primo aspectu

valde probabili, quam protulit in commentationis de Epicurea animorum doctrina p. 17, cum diligentius omnia pertractarem, dubitationes exortae sunt gravissimae. Qui quod v. 973—990 dicit ad eam controversiam spectare quae versibus 907 sq. continetur, hoc concedendum est; at propterea num transponendi sint, dubito. Nam primum ne hoc quidem negari potest iam inde a v. 963 nova eiusdem rei argumenta poetam afferre, quam supra v. 930 absolvisse videbatur, nec tamen v. 963—972 ab hoc loco alienos esse quisquam statuere audebit; quare si iam regressus erat ad rem supra tractatam, facile fieri poterat ut non unum, sed duo nova argumenta proferret. Sed etiam altera causa accedit, cur versuum ordinem, qualis in libris exstat, defendam: quaecumque enim a v. 865 usque ad v. 972 disputantur, ea ad omnia pariter animantium genera pertinent; at quae deinde subiciuntur, de solis hominibus dicuntur. Quare mihi veri non dissimile videtur, consilio poetam gravissimum hoc argumentum, primordia sensu carere, in fine totius loci posuisse, quanquam ad. v. 914 id spectare non nego. Est enim hoc moris Lucretiani, quotiens apte fieri poterat, ad ea redire quae supra disputaverat, cuius rei alia exempla attuli p. 14, quae nullo labore augere possum.

Versum 460 a suo loco alienum esse multoque aptius post 463 collocari Pollius p. 317 iudicavit; sed neque hoc neque de omni sententiarum nexu quae disputavit, equidem concesserim. Nam tota argumentatio artificiosius, nisi fallor, instituta est ita, ut singula posterioris partis membra singulis prioris respondeant. Quod quo planius ostendam, exemplo uti liceat v. 469 sq., quorum singulae sententiae quomodo inter se conexae sint, litteris adiectis significabo.

a) Scilicet esse globosa tamen *b*) cum squalida constent
a') Provolvi simul ut possint *b'*) et laedere sensus.

Quae sic explicanda sunt: 'provolvuntur' illa quia 'globosa sunt', et 'laedunt' quia 'squalida constant.' Eodem modo is de quo nunc agimus locus comparatus est, quod item litteris adiectis cuivis perspicuum erit:

458: *a*) Si minus omnibu' sunt e levibus atque rutundis
b) At non esse tamen perplexis indupedita,

a') Pungere uti possint corpus penetrareque *saxa
b') Nec tamen haerere inter se.

Iam patet, quid sibi velint haec: necesse est primordia illa ut ne levia atque rutunda sint, ut pungere possint; neve perplexa sint, ne inter se haereant; nam quae levia atque rutunda sunt, ea pungere nequeunt, quae autem perplexa sunt, inter se haerebunt; quare quoniam pungunt corpus neque vero inter se haerent, facile perspicitur ea neque levia neque perplexa esse, sed acuta. Quam ob rem nisi aptissimum sententiarum ordinem evertere velis, versus 460, ubi in libris scriptus est, retinendus erit. Quae cum ita sint, ne 'uti' quidem temptandum est, quod Pollius obscurum esse arbitratur: indicat enim illud, cur neque levia neque perplexa esse possint primordia aëris vel fumi: necesse est, . . . non esse . . . . ut pungere nec tamen haerere possint. — Haec omnia si recte disputata sunt, iam per se patet, cur Lachmanno assentiendum sit, qui plenius interpunxit post verba haec: 'nec tamen haerere inter se', cum alii censuerint v. 460 et 461 ad ea pertinere quae secuntur. At vero artissime ei cum superioribus cohaerent. Sed versus qui proxime succedit quomodo restituendus sit, vix exputari posse videtur; fere innumerabiles enim coniecturae prolatae sunt; quae quoniam non pertinent ad eam in qua nunc maxime versamur quaestionem, strictim hoc attingam neque vero omnia repetam vel potius recoquam, quae accurate de variis criticorum coniecturis disputavit Briegerus in Philol. vol. XXIV p. 442—445.

Sic enim poetam argumentatum esse puto: necesse est, si non levia sunt primordia illa, at non esse tamen perplexa, ut possint pungere corpus penetrareque *saxa nec tamen haerere inter se: at vero sensus ipse unum quemque edocet haec omnia eis reddita esse (scilicet pungere corpus penetrareque nec tamen haerere inter se: haec reddita esse fumi nebulae flammae primordiis), ut facile inde cognoscere possis, ea non perplexa (neque levia) esse, sed acuta; hanc vero sententiam leniore adhibita mutatione, quam quae plerisque placuerit, sic ex librorum memoria: *quodcumque videmus Sensibus sedatum* elicere possumus:

. . . . quod *quisque* videmus
Sensu ibus esse datum.

Ac primum ʻquisqueʼ Marulli est coniectura. Tum ʻsedatumʼ, quod ortum esse ex ʻesse datumʼ eo veri similius videtur, quod *S* littera antecebat: (. . . *SESSED* . . .), ut a prioribus litteris *SE* librariorum oculi ad posteriores aberrarent, iam ab Italis Creechio Bernaysio aliis emendatum est: Denique ʻsensibusʼ librariorum errore scriptum esse pro ʻsensu ibusʼ eodem iure conicio, quo Lachmannus II, 88 ʻtergibusʼ natum esse censuit ex ʻtergo ibusʼ, hanc pronominis formam bis praeterea in Lucretii libris delitescere arbitratus, qua de re Pollius disputavit p. 396; quod vero Goebelius in Quaest. p. 23 *ibus* formam a Lucretio abiudicavit, id quanquam accuratius refellere non huius est loci, tamen mihi non persuasit eam emendandi viam relinquendam esse, qua facillime Lachmannus monstravit expediri posse, quae librariorum vocem obsoletam non intelligentium stultitia corrupta sunt. Sed iam longius quam institueram provectus sum, quoniam id maxime mihi demonstrandum erat, versum 460 a loco suo depellendum non esse. Iam ad alia pergo.

Versus 1146—1149 ante v. 1139 traiciendos esse Goebelius in Quaest. p. 33 ingeniose perspexit. Sed restat aliquid atque obstat, quominus omnino sanus videatur sententiarum ordo. Etenim haec fere Lucretius dicit: ubi summum crescendi cacumen res tetigerunt, iam minutatim vires frangi incipiunt, quia neque facile venae omnes replentur neque quantum satis est materiae natura ministrat: haec v. 1148 et sq. repetuntur, tum vero v. 1139 brevissime sic comprehenduntur: ʻiure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo suntʼ, quibus tertia quaedam causa subnectitur: denique externis plagis omnia succumbunt nec cessant corpora extrinsecus tuditantia rem conficere et plagis domare; hoc autem tertium argumentum miro modo perturbatur versu 1141, qui cum proximis nullo sententiae vinculo constrictus ineptissime id repetit quod bis iam expositum est. Quam ob rem quanquam in medio tertio argumento eum ferri non posse perspicuum est, tamen ubi collocandus sit, difficile dictu est; veri fortasse simillimum est, statim eum excipere versum 1138. Itaque sic totum locum si construxerimus:

1136: Nec facile in venas cibus omnis diditur ei,
Nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
Unde queat tantum suboriri ac suppeditari,
1141: Quandoquidem grandi cibus aevo denique defit.
1146: Omnia debet enim cibus integrare novando
Et fulcire cibus . . . .

tum etiam planius cognoscetur, quomodo v. 1146 sq. cum versibus superioribus cohaereant, quoniam id ipsum explicant, cur cibo deficiente animalia pereant.

Iam de v. 923 dicendum est, quem a suo loco alienum esse Lachmannus demonstravit; Goebelii autem sententiam Observ. p. 39, quam nemo secutus est, neque mutandum neque transponendum esse quicquam, Susemihlius et Briegerus in Philol. vol. XXV p. 79—81 ita refutaverunt, nihil ut addendum videatur. Sed quae ipsi contra Lachmannum disputaverunt, non magis probare possum. Susemihlius enim Oppenriederum secutus et ipsa verba mutat et complures post 923 versus periisse statuit. Sed cum ipse, quidnam in lacuna a se statuta expositum fuerit, ratiocinando se assequi non posse confiteatur, neque rerum ordinem ulla lacunae indicia praebere demonstrari possit, Susemihlii sententia reicienda est. Briegerus autem *sentimus* mutavit in *semina vis* atque nova praeterea interpunctione adhibita haec effecit:

Scilicet ut nequeunt homines armenta feraeque
Inter sese ullam rem gignere conveniundo,
Sic itidem, quae semina vis sentire, necessest.

Sed primum eius coniecturam violentiorem esse quam Lachmanni transpositionem manifestum est. Tum quomodo illa explicanda sint, dubitari potest; Briegerus enim haec cogitando suppleri vult: sicut nequeunt homines . . gignere, sic . . semina necessest (nequeant gignere). Sed facilius delabimur ad alteram interpretationem: ut nequeunt homines . . gignere, sic semina necessest (gignant); hoc autem Lucretium dicere non potuisse, per se patet. Quam ob rem mihi in Lachmanni sententia, v. 923 aliunde huc detrusum esse, acquiescendum videtur. — Iam igitur quaerendum est, ubi aptissime versus ille collocari possit: ac Lachmannus ipse eum post v. 915, Bernaysius autem et Pollius ante eundem versum transpo-

suerunt: quorum utrumque posse defendi, evinci neutrum videtur. Neque enim Pollius p. 324 mihi persuasit, quam libri exhibent orationem hiantem atque ineptam esse. Antecedunt enim:

Linquitur ut *totis animantibus* adsimulentur,
Vitali ut possint consentire undique sensu;

secuntur: Qui poterunt igitur rerum primordia dici
Et leti vitare vias, *animalia cum sint.*

Quae mihi tantopere sententiae vinculo constricta esse videntur, ut neque quid omnino desideretur dispiciam, neque cur v. 923 necessarium supplementum sit intellegam. At vero exstat nisi fallor locus, cui ut versum illum inseramus res ipsa paene clamare videtur, post v. 975:

975 Quid genus humanum propritim de quibu' factumst?
923 Sic itidem quae sentimus sentire necessest;
976 Scilicet et risu tremulo concussa cachinnant
Et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque.

Nisi rectius sic interpungas:

Quid?—genus humanum propritim de quibu' factumst,
Sic itidem quae sentimus sentire necessest?

Iam aptissime omnia inter se cohaerent: primum primordia nostra idem sentire dicuntur quae nos sentiamus, tum ipse sensus ille describitur vel potius irridetur.

Sed etiam in eis, quae proxime secuntur, similis mihi corruptela latere videtur. Versus 1015 et 1016 Lachmannus, ut ineptissime e primo libro huc translatos, prorsus delevit. Atque in primo libro ubi de atomis disputatur, haec scripta exstant:

Namque eadem caelum mare terras flumina solem
Constituunt, eadem fruges arbusta animantis.

In altero autem libro, quoniam de verborum litteris agitur, sic illa immutata sunt:

Namque eadem caelum mare terras flumina solem
Significant. . . .

Verum equidem dubito, num magis versus illi reiciendi sint quam alii permulti in Lucretii carmine iterati. Nam primum rem ipsam, quae eis continetur, ineptam esse nego: conferas velim l. I v. 823 sq.:

Quin etiam passim nostris in *versibus* ipsis
Multa elementa vides multis communia verbis,
Cum tamen inter se versus ac verba necessest
Confiteare et re et sonitu distare sonanti.

Iam vero quomodo in l. I non modo verba sed etiam versus distare atque inter se differre dixit, quia non eisdem constarent elementis, sic in altero libro haec dicere poterat: etiam in versibus nostris magni refert, quali sint ordine (elementa) quaeque locata; quanquam enim maxima pars consimilis est (scilicet elementorum neque vero verborum, quod ne verum quidem esset), tamen positura discrepitant res (i. e. verba), namque eadem elementa caelum . . . significant. Sed ne hians et prave conexa sit oratio, 1015 et 1016 post eos qui in libris secuntur duos locandi sunt, quoniam et 1017 pertinet ad 1014, et 1018 artissime cohaeret cum 1015:

Quin etiam refert nostris in versibus ipsis,
1014 Cum quibus et quali sint ordine quaeque locata.
1017 Si non omnia sunt, at multo maxima pars est
Consimilis; verum positura discrepitant res;
1015 Namque eadem caelum mare terras flumina solem
Significant, eadem fruges arbusta animantis.

Quare leni transpositione facta et versus illos servari et totum locum bene administrari posse arbitror. Versus autem retinendos esse, indicio haud contemnendo hoc est, quod 'constituunt' illud, in primo libro aptissimum, in altero autem absurdum, sic inversum est, ut ad alterum etiam locum quadret. Duo enim iteratorum versuum genera apud Lucretium accurate distinguenda sunt; alterius exemplum praebet is qui mox sequitur 1020, quem spurium esse propterea maxime inter omnes constat, quia nullo verbo immutato ea exhibet, quae superiore loca apta sint, hoc autem ineptissima; alterius autem generis, quod non modo repetitos, sed ita emendatos superioris loci versus praebet, ut etiam fulciant sententiam, luculentissimum fortasse exemplum sunt versus III, 797 et V, 141. In tertio enim libro argumentatio sic concluditur:

tanto magis infitiandum
Totum (sc. animum) posse extra corpus *durare genique.*

In quinto autem libro ne sententia absurda redderetur, aliquid adiciendum erat, quod sic factum est:

tanto magis infitiandum
Totum posse extra corpus *formamque animalem*
Putribus in glebis . . . . .

Similia apud Lucretium non pauca exstant, quae facere non possum quin omnia ex uno quodam fonte fluxisse statuam; huius igitur generis versus nonnullos a ceteris divelli posse, nisi gravissima necessitate coacti simus, equidem negaverim. Sed haec hactenus; nam id ut singillatim perscrutemur, quanquam non nullum inde fructum perceptum iri scio, tamen in alium locum differendum erit.

De versibus 520 sq. et 165 sq. quid sentiam, supra exposui. Sed unum praeterea locum suspitiosum mihi videri, silentio praeterire nolo. Miror enim, cur Lucretius 444—450 de corporibus agat solidis, tum 451—455 de fluvidis, deinceps 456—463 de eis quae in aere vagantur, tum demum subiciat, quod ad nullam nisi alterum genus pertinet, scilicet levibus atque rutundis liquoris corporibus acerba quaedam atque aspera admixta esse. Quibus noli illud obicere, eadem, de quibus tertio loco disputavit, acuta elementa hic commemorari; nam haec ab illis diversa esse inde perspicitur, quod altera globosa sunt (v. 469), altera rotunda esse ipse poeta negavit (v. 458). Quam ob rem nescio an conicere liceat, integrum sententiarum ordinem talem fuisse:

444: Denique quae nobis *durata ac spissa* videntur
— — — — — — — — — — — — —

451: Illa quidem debent e levibus atque rutundis
Esse magis, *fluvido quae corpore* liquida constant
— — — — — — — — — — — — — — —

464: Sed quod amara vides eadem quae *fluvida constant*
— — — — — — — — — — — — —

456: Omnia *postremo,* quae puncto tempore cernis
Diffugere, ut *fumum flammas nebulasque* . . .

CAPUT III.

De singulis locis emendandis atque explicandis.

Versum 53:

Quid dubitas, quin omni' sit haec rationi' potestas

Marullus Lambinus alii sic corrigendum esse censebant:

Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas,

Lachmannus Bernaysius Munorius librorum scripturam servarunt. Ac Marullus num recte scripserit 'omne sit hoc', nunc missum facio; at *potestas* vocabulum num corrigendum sit, paulo accuratius quaerendum est. Etenim in sententiarum ordinem ac nexum inquirenti gravissimam mihi offensionem habere videtur *rationis potestas* hoc loco posita. Nam 40—46 ei irridentur, qui divitiis et opibus animum a cura liberari opinantur, versibus autem 47—52 ipsae curae ac sollicitudines uberius describuntur; quare recte dixeris in versibus superioribus de remediis quasi curarum agi, quae sapientissimo cuique in sola rationis *potestate* posita esse videantur, in inferioribus autem de eis, quae quasi e fonte quodam fluxerint e rationis *egestate.* Quam ob rem aut dicere poterat Lucretius: quid dubitas quin *illa* (sc. curarum remedia) omnis rationis *potestas* sit, aut: quid dubitas quin *haec* (scil. invictae animorum sollicitudines) omnis rationis *egestas* sit. Sin vero id retinemus quod libri exhibent, *hanc* esse rationis *potestatem,* tum fieri non potest quin de eis agi putemus quae proxime antecedunt: metus hominum inter reges versari et rerum potentes neque fulgorem revereri ab auro e. q. s.; hanc autem non esse rationis *potestatem* per se patet. Quam ob rem Marulli, Lambini iudicium respuendum non esse videtur, sed sic potius scribendum: 'Quid dubitas, quin omni' sit haec rationis egestas'. Cf. V, 1211: 'Temptat enim dubiam mentem rationis egestas'.

V. 80: Si cessare putas rerum primordia posse
Cessandoque novos rerum progignere motus,
Avius a vera longe ratione vagaris.
Nam quoniam per inane vagantur, cuncta necessest.....

In his versibus obscuritatem quandam inesse Briegerus rec-

tissime sensit in Philol. vol. XXIV p. 424 sq. Nam si cum interpretibus *cessare* statuimus idem esse atque quiescere, miro modo ipse sibi contradicere videtur Lucretius, cum v. 83 refellendi initium ab eo capiat, quod demonstrandum est; neque si quis obiecerat primordia non vagari sed quiescere, ille pergere poterat: 'quoniam per inane vagantur'. Quam Briegeri sententiam Susemihlius l. c. frustra refutare studet. Nam quod Lucretium dicit placitum illud quod v. 80—82 continetur non refellere, sed inde a v. 83 suam rationem exponere quasi nihil supra dixerit, id et per se veri dissimile est et redarguitur v. 89: 'et quo magis pervideas omnia materiai corpora iactari'. Itaque Briegerus ipse ut difficultatem illam removeat, cessandi vocabulum sic interpretatur: 'hin und her gehn, hin und her fliegen, und zwar hier mit dem Nebenbegriff der Willkür.' Sed huius cessandi notionis in eis quae ad nos pervenerunt latinitatis documentis vestigia vix inveniri ipse confitetur. Quam ob rem Pollius p. 311 aliud proposuit: cessare idem valere atque cunctari, tardare. Sed ne hoc quidem placet, quia celeriter illa moveri non demonstratur in proximis versibus, sed 142.

At vero quam sententiam Lucretius refellat, cum ex aliis quae affert argumentis, ni fallor, perspici potest, tum maxime ex altero, quod gravius esse ipse significat, 89 sq.: 'quo *magis* perspicias'; ostendit enim, nihil in rerum summa imum esse, ubi consistere possint primordia. Idem docuerat in l. I v. 1077 sq.:

> Nec quisquam locus est quo corpora cum venerunt,
> Ponderis amissa vi possint stare in inani.

Hoc igitur refellere studet: corpora, quae ab initio in inani vagari constet, ea deorsum labentia ad locum quendam imum pervenire, ubi consistere possint. Adversarius enim v. 80 non obiecerat omnino quiescere primordia, sed aliquando *requiescere*, aliquando motu desistere, motum intermittere. Ita nunc etiam cetera quomodo explicanda sint, in promptu est: v. 80 '*novos* rerum progignere motus' recte ea dicuntur, quae in motu fuerunt, sed iam requiescunt. Ad eandem rem spectant v. 95, *nullam quietem* redditam esse corporibus, et v. 97:

adsiduo motu ea exerceri. Itaque id maxime demonstrare studet Lucretius, motum illum nunquam finiri.

V. 103: Haec validas saxi radices et fera ferri
Corpora constituunt, et cetera de genere horum
Paucula quae porro magnum per inane vagantur.
Cetera dissiliunt longe longeque recursant
In magnis intervallis: haec aëra rarum
Sufficiunt . . . .

Sic scripti in editione Lachmanniana hi versus exstant. Libri Leidenses *de* in v. 104 omiserunt, in v. 105 autem exhibent *paucuia*; utrumque Italorum librarii correxerunt. Versus autem 105 valde exercuit criticorum sagacitatem, ut nonnulli de emendatione desperantes eum delere instituerent. Quod num recte statuerint, accuratius inquirendum est.

Ac Lachmannus, ut ab eo exordiar, totum v. 105 cum eis quae antecedunt coniungi voluit, nullo verbo mutato, cum Lambinus et alii post 'paucula' interpunxissent. Contra omnes fere, qui post Lachmannum de hoc loco disputaverunt, versum 105, si omnino eum defendebant, ad eum qui sequitur pertinere censuerunt: id quod propterea maxime probandum duco, quia *porro vagari* primordia Lucretius neque alibi dixit neque hoc loco dicere poterat; quare *porro* vocabulum hic eodem sensu usurpatur, quem saepissime in Lucretii libris valere videmus, ut novum argumentum adnectat. Sed etiamsi post v. 104 interpungimus, tantum abest ut sanum sensum omnia habeant, ut Purmannus Quaest. Laub. I p. 8, Munroius, Pollius p. 311 versum illum spurium esse iudicaverint. At leni potius emendatione locum sanare conati sunt Lotzius in Philol. vol. VII 711, Christius p. 15, Grasbergerus p. 50, Susemihlius et Briegerus in Philol. vol. XXIV p. 426 sq. Primum in eo omnes haerent, quod v. 106 libri praebent *cetera*, quanquam tertium etiam genus primordiorum esse v. 109 sq. declarant. Quare Christius scribi voluit: 'concita dissiliunt', Grasbergerus 'extra dissiliunt', Lotzius et Susemihlius Lambinum secuti 'et cita dissiliunt'; Susemihlius praeterea 'concita' ferri posse contendit, si in superiore versu scribatur 'vagata'. In eo autem omnes consentiunt, 'paucula'

in v. 105 retinendum esse. Sed unius cuiusque generis primordia infinita esse numero in hoc ipso libro 522 sq. Lucretius demonstravit; quare neque saxi neque ferri, neque aëris neque luminis primordia pauca esse dicere poterat. Quod quoniam Susemihlius perspexit, 'paucula' sic interpretatur ut eis quae supra posita sunt, 'magis condenso conciliatu' oppositum sit atque primordia illa latius dispersa esse significet. Sed res quae innumerabiles sunt propterea paucas dici, quia latius dispersae sint, vix cuiquam persuadebit. Aliud Lotzius proposuit, qui ut 'paucula' explicaret, coniciendo effecit 'multum per inane', quod sic fere explanare studet: 'eam' inquit 'vacui partem poeta intellexit, quae corporis cuiusvis ambitu circumscribitur, quamque multum esse inane recte dicit, cum paucula elementa rarioris corporis dispersa in eius latitudine vagari fingat'. Sed ne haec quidem probabilia sunt. 'magnum per inane vagari' cum saepissime a Lucretio in usum vocatur ita ut eundem semper sensum habeat, tum in hunc locum optime quadrat. Nam assiduo motu et alia et haec primordia per spatium mundi vagari Lucretius in eis quae proxime antecedunt exposuit. Sed etiamsi haec non obstarent, tamen Lotzio non accederem, quoniam id quod ille proposuit nisi difficili et contorta interpretatione adhibita ne intellegi quidem potest. Quae cum ita sint, nisi alia 'paucula' verbi vel emendandi vel explicandi ratio invenietur, de emendatione omnino desperandum erit.

Sed iam quid ipse sentiam, exponere liceat. Primordia ex Epicureorum ratione tribus rebus inter se differre: figura magnitudine pondere, satis constat. Sed de atomis quae Lucretius scripsit si quis diligenter perscrutetur, saepe inveniet illum levia atque rutunda primordia *minora*, hamata autem ac perplexa *maiora* dicere. Cf. III, 186 sq.:

At quod mobile tantopere est constare rutundis
Perquam seminibus debet perquamque *minutis*.

Sed multo gravius exstat testimonium in l. V, cum inde a v. 453 de eisdem illis aëris luminis elementis haec disputentur:

ea quae mare sidera solem
Lunamque efficerent et magni moenia mundi:
Omnia enim magis haec e levibus atque rutundis

Seminibus *multoque minoribu'* sunt elementis
Quam tellus . . . . .

Itaque dubitari non potest, quin saxi et ferri elementa et perplexa et maiora, aëris et luminis primordia et rotunda et minora esse Lucretius voluerit. Iam vero cum VI, 305 sq. parva elementa *parvola* appellentur, hoc ipsum vocabulum in nostro quoque versu restituendum esse arbitror emendatione certe lenissima, quoniam paucissimis litterulis immutatis ex *paucula* elici potest *parvola,* sensu autem Lucretii rationi, ut ostendisse mihi videor, tam conveniente, quam 'paucula', utut interpretamur, absurdo. Itaque ut supra praetermissa magnitudine dixit, ferri elementa *indupedita suis perplexis ipsa figuris* esse, sic aëris et luminis corpora *parvola* per magnum inane vagari dicere poterat omissa forma. Quae cum ita sint, post v. 105 lacunam statuendam esse Briegero minime concedo, sed invicem sibi respondere puto primum versus 106 et 101, tum versus 105 et 102.

Restat ut de *cetera* vocabulo, quod plerisque mendosum videbatur, quid sentiam brevissime exponam. Ac primum etiam mihi veri dissimile videtur 'cetera' haec dici, cum etiam tertium genus sequatur. Sanus certe sensus restituetur, si vel cum Lotzio scripserimus 'et cita', vel cum Christio 'concita'. Sed nescio an mero librariorum errori magis quam poetae tribuendum sit 'cetera' illud. Etenim si haec fere Lucretius scripsit:

Haec validas saxi radices et fera ferri
Corpora constituunt et cetera de genere horum.
Parvola quae porro magnum per inane vagantur
Corpora dissiliunt longe longeque recursant
In magnis intervallis . . . . .

tum facile fieri potuit, ut homo quidam diligentior, quoniam duos versus ab eodem verbo 'corpora' incipere neque vero utroque loco eandem rem significari videbat, altero loco in margine appingeret 'cetera', hoc autem a librariis dormitantibus in ipsum versum reciperetur; certe in libris Lucretii saepe versus binos aut nullo aut uno interiecto ab eodem verbo initium capere videmus: cf. IV, 896—897, 941—944, 202—203, III, 1009—1010, 1079—1081. Sed hoc tantum

non reticuisse satis est; nam huius generis menda certis argumentis vix comprobari posse non sum equidem nescius.

V. 210: Sol etiam summo de vertice dissipat omnis
Ardorem in partis.

Talem versum 210 Itali exhibent, cum in Leidensibus sic truncatus sit: 'Sol etiam de vertice dissipat omnis'. Illos Lachmannus sequitur, Bernaysius autem protulit 'caeli de vertice', coniectura satis probabili. Tamen fortasse etiam probabilius aliquid et ipsi mihi in mentem venit, et Winkelmannum p. 10 suspicatum esse postea vidi, quod neminem respexisse miror: 'Sol etiam *mundi* de vertice'. Atque *mundi* vocabulo, quod quam facile inter *m* et *de* intercidere potuerit perspicuum est, sic uti Lucretium, ut fere idem sit atque caelum, duobus probabile reddam exemplis: l. IV v. 134: 'Ut nubes facile interdum concrescere in alto Cernimus et *mundi* speciem violare serenam'; et l. VI v. 43: 'Et quoniam docui *mundi* mortalia templa Esse et nativo consistere corpore *caelum*'.

V. 216: Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,
Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme
Incertisque loci spatiis decellere paulum.

Sic versum 219 Lachmannus emendabat pro:

Incertisque locis spatio depellere paulum.

Qui num recte 'depellendi' vocabulum correxerit, id quod Briegerus in Philol. vol. XXIV p. 435 negavit, nunc non quaero, quoniam de altera Lachmanni coniectura probabilius quiddam mihi videor proferre posse.

Quod in libris exstat: 'incertisque locis spatio', id Lachmannus corrigendum esse censebat, quia versus hos prorsus eandem rem continere videbat, quae infra v. 293 (et v. 260) expressa est: 'nec regione loci certa nec tempore certo'. Atque artissimo sententiae vinculo hunc versum cum illis cohaerere nemo negabit. At vero diligentius mihi *spatii* vocabuli usum Lucretianum investiganti valde dubium visum est, num 'incertis loci spatiis', quod Lachmannus coniectura assecutus est, idem significare possit atque 'incerta regione'.

Regionis enim vocabulum saepe sic Lucretius adhibet, ut nihil inter regiones et singulos locos quosque interesse videatur. Itaque ubi animum unius corporis partis finibus contineri docuit, haec scripsit III, 140:

Concilium, quod nos animum mentemque vocamus.
Idque situm media *regione* in pectoris haeret.

Itidem III, 610: animam ...

Verum deficere in certa *regione* locatam.

Denique 'regio locusque' saepissime coniuncta usurpantur eodem modo quo 'actus et membra', similia, ut IV, 786: 'eadem in *regione locoque* Longe dissimilis animus res cogitat omnis'. Quare quomodo v. 293 explicandus sit, dubitari nequit; dicit enim neque temporis punctum neque locum certum esse, quo singula primordia a recta via declinent. Hoc autem in v. 219 qualem Lachmannus effecit nullo modo inesse potest. Nunquam enim in Lucretii carmine *spatii* vocabulum ita usu venit, ut certum aliquem locum significet; sed ubicumque non de tempore dicitur, aut ad eandem rem spectat, quam alibi aliter appellare solet ut 'inane', 'magnum', 'immensum', sim., aut ad maiorem aliquam totius mundi partem velut 'caeli spatium', 'aëris spatium', aut denique ad id quod inter corpora diversa interiectum est intervallum.

Atque illius quod primo loco posui generis haec fere exempla exstant: II, 92: 'quoniam *spatium* sine fine modoquest'. I, 1110: 'Temporis ut puncto nil exstet reliquiarum Desertum praeter *spatium* et primordia caeca'. I, 507: '*spatium* quod inane vocamus'. I, 523: 'Omne quod est *spatium* vacuum constaret inane'. Adde I, 426. 472. 527. 955. 969. 984. 1002. 1074. II, 163. 1053. IV, 192. 207. V, 370. VI, 488.

Ad alterum genus pertinet *caeli spatium* II, 1110. IV, 202. VI, 452. 820 vel *aëris spatium* II, 603. Eodem modo explicandi sunt VI, 620 sq., e quibus planissime, quid inter spatium et locum intersit, cognosci potest:

Proinde licet quamvis ex uno quoque *loco* sol
Umoris parvam delibet ab aequore partem:
Largiter in tanto *spatio* tamen auferet undis.

Ad tertium denique genus referenda sunt haec: II, 99: 'Pars

etiam brevibus *spatiis* vexantur ab ictu'. II, 316: '*spatio* diducta'. IV, 557: '*spatium* interpositum longius aequo'. Similiter comparatos esse I, 389. VI, 1005. 1029 e sententiarum nexu intellegitur. — Praeterea ad tertium potius quam ad alterum genus ei pertinent loci, quibus de viae alicuius longitudine dicitur, velut V, 618: 'Lunaque mensibus id *spatium* videatur obire, Annua sol in quo consumit tempora cursu'. VI, 300: 'ut venti vis .. Igniscat tamen in *spatio* longoque meatu'. VI, 93: 'tu mihi .. currenti *spatium* praemonstra callida Musa'. Neque hic et qui mox secuntur loci magis ad viam ipsam quam viae latitudinem referendi sunt: I, 379: 'ni *spatium* dederint latices'. I, 1047: '*spatium* tempusque fugai largiri'. Huc denique pertinent IV, 179. V, 566. IV, 553. — Uno tantummodo verbo commemorare liceat I, 321 Lachmannum id quod libri exhibent 'speciem' in 'spatium' mutavisse, quod idem valere voluit ac 'facultas', de qua re cf. Pollium p. 300.

Atque haec quidem hactenus. Plenius autem demonstrandum erat, eo quo Lachmannus voluit modo Lucretium hoc vocabulo nunquam usum esse. Iam igitur ad v. 219 regrediar. Atque hoc quidem effecisse mihi videor, 'incertis loci spatiis' nullo modo respondere posse his: 'non regione loci certa', quae ex usu Lucretiano explicari non possunt nisi sic: incertis intervallis loci; hoc si quis defendat, ita illud necesse est concedat, nullam inter hunc versum et 260. 293 similitudinem intercedere. At vero similitudinem istam imprimis servandam esse cum ipse Lachmannus docuerit, coniecturam eius reiciendam esse censeo.

Attamen librorum scripturam, quam Winckelmannus p. 10 defendit: 'incertisque locis spatio — paulum', ferri non posse rectissime Briegerus demonstravit; namque non 'spatio' primordia declinare, sed 'recta regione viaï', ex eis quae supra disputavi plane perspicitur. — Itaque librorum scripturam mendosam esse mihi quoque persuasum est, sed in alio quodam verbo mendum latere puto; nam in codicibus cum per se prorsus sana exhibentur haec: 'incerto tempore ferme incertisque locis', tum ea quam maxime commendantur similitudine versus 293: 'nec regione loci certa nec tempore certo'; itaque in extremis

versiculi verbis aliquid corruptum esse suspicor. Ac 'spatio decellere' ineptum esse supra commemoravi; contra aptissimum fuerit 'spatio parvo', 'spatio minimo' decellere, quod ad eum huius vocabuli usum pertinet quem tertio loco posui, atque brevi quodam intervallo a recta linea primordia declinare significat. Eadem enim res, ni fallor, versu 220 accuratius explicatur: 'Tantum quod momen mutatum dicere possis'. Quam ob rem equidem sic Lucretium scripsisse arbitror:

incerto tempore ferme
Incertisque locis *spatio* *decellere *paulo*;

paulo enim vocabuli pristinam ablativi casus vim in nonnullis Terentii versibus servatam esse satis constat: cf. Adelph. V, 4, 22 (Fl.):

Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit suos
Paulo sumptu:

quam obsoletam formam si semel tantum Lucretius posuit, librarios eam neque intellexisse neque integram reliquisse non miraberis.

V. 157: At quae sunt solida primordia simplicitate,
Cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
Ulla foris, atque ipsa suis e partibus unum,
Unum in quem coepere locum conixa feruntur.

Versus 159 exitum qualem libri exhibent, postquam Lotzius in Philol. vol. VII p. 712 mendosum esse ostendit, egregie correxerunt et Briegerus in Philol. vol. XXIV p. 430 et Munroius, cum sic eum scribendum esse censerent: 'atque ipsa suis e partibus una'; in qua emendatione mihi quidem acquiescendum esse videtur. Sed etiam versus 160 verbum primum ineptum esse Lotzius demonstravit: quod quanquam nemini hucusque persuasit, tamen rectissime sensisse videtur. Nam suo iure negat poetam hoc dixisse, in illum locum *unum*, in quem ferri coepissent, neque in alium quemquam primordia deferri: id quod hoc loco dicere non poterat, quia ne solis quidem lumen, quo exemplo impediti motus utitur, obliqua via meare solet; itaque rectane sit via illa an non, nihil ad rem pertinet. — Sed quod ipse Lotzius coniecit: 'Priva in quem coepere locum conixa feruntur', nec per se probabile videtur et a librorum

scriptura longius abest. Exspectamus enim hoc: primordia conixa in illum locum feruntur, in quem ferri coeperint; quare pro 'unum' scribendum videtur 'illum':

Illum in quem coepere locum conixa feruntur.

V. 483: Namque in eadem una cuiusvis in brevitate
Corporis inter se multum variare figurae
Non possunt.

Mendosa esse haec propter *in* bis positum negari non potest. At vero tantopere corruptum esse versum ut Lotzius censebat in Philol. vol. VII p. 715 sq. cum haec Lucretium scripsisse putaret:

Namque in eadem una cunctis brevitate remensa,

id et a Susemihlio in Philol. vol. XXIV p. 445 sq. certis argumentis refellitur, et per se veri dissimile est, quoniam multo leniore emendatione locus in integrum restitui posse videtur. Sed ne Munroii quidem sententiam probo, qui cum haec efficeret:

Nam quoniam eadem una cuiusvis in brevitate,

enuntiatum valde infractum reddidit, cuius protasis nullo fere orationis vinculo cum apodosi cohaereret; quod quanquam a Lucretio admissum esse mihi quidem Munroius persuasit, tamen ne ultro in libros inferamus, diligenter cavendum est. Sequitur Briegerus, qui satis leni coniectura alterum tantummodo 'in' mutavit:

Namque in eadem una cuiusvis *iam* brevitate.

Sed inter *eadem* et *una* vocabula et Lachmannus monuit neque Briegerus negavit particulam copulativam desiderari. At vero in ipsis librorum litteris particula illa copulativa latere videtur. Satis enim notum est pristinam pronominis formam, quae est *quoius,* etiam in Lucretii libris servatam esse. Quam ob rem versum illum sic quondam scriptum exstitisse veri haud dissimile est: 'Namque in eadem una *quoiusvis* in brevitate'. Iam vero *unaquo* corruptum esse suspicor ex *unaque* atque *iusuis* ex *unius,* ut haec integra fuerit verborum scriptura: *unaque unius,* quod quam maxime est ex usu Lucretii. Praeterea si de altero *in* corrigendo cum Briegero consentiamus, haec fere versus illius forma evadet:

Namque in eadem *unaque unius iam* brevitate
Corporis inter se multum variare figurae . .

Habemus igitur et, quam Lachmannus postulavit, particulam copulativam et verborum repetitionem usitatissimam in Lucretii carmine; habemus denique quod v. 487 iterum redit: '*unius* corporis'. Sic facilius, quomodo mendum irrepserit, explicari posse videtur, quam Lachmannum si sequaris, qui et 'in' quod priore loco positum est delevit et 'una' mutavit in 'unius', ut haec efficeret: 'Namque eadem unius cuiusvis in brevitate'.

V. 672: Tum porro quaecunque igni flammata cremantur,
Si nil praeterea, tamen haec in corpore traduntur,
Unde ignem iacere et lumen summittere possint.

In 'traduntur' v. 673 quid lateat, incertum est. Lachmannus cum nullum se vocabulum invenisse testaretur, quod in 'traduntur' facile mutari posset, ipse scripsit 'celant,' Bernaysio placuit 'cludunt'; Schneidewinus in Philol. vol. IX p. 645 'cobent' proposuit; sed ut quid hac in re verum sit fateor me non exputare, ita ab alia quadam suspitione locum liberare posse mihi videor. Lotzius enim Philol. t. VII p. 718 verba, quae sunt *in corpore*, otiosa et supervacanea esse contendit, cui Pollius p. 319 assensus est. At minime verba illa suspitiosa esse exemplis hisce comprobari potest: v. 678 'Invenies igitur multarum semina rerum *corpore* celare'. IV, 1221: 'primordia ... Mixta suo *celant in corpore* saepe parentis'. Quare cur illa temptemus, nulla exstat causa. Verum enim vero totum locum aliter atque Lotzius voluit explicandum esse arbitror, qui quoniam hic sicut v. 695 sq. de rebus variis quibus eadem elementa communia essent disputari putabat, ipsum illud 'commune' vocabulum verbis expressum expetebat. At vero inter illam argumentationis partem et hanc aliquid interesse mihi videtur; nam a v. 581 usque ad v. 687 de eis tantum rebus agitur, quae singulae varia contineant elementa, tum autem inde a v. 688 varias etiam res eisdem primordiis constare demonstratur; quae quanquam non nimis inter se distant, tamen distinguenda sunt. Simili ratione v. 589 sq. terram narrat varias res celare, v. 668 sq. animantes cruoris, umoris cet. primordia cohibere dicuntur; sic denique omnia quaecunque cremantur, si nil praeterea,

tamen haec elementa diversa continere exponit poeta, quae ignem scintillas favillam efficiant. Quam ob rem neque 'commune' vocabulum neque quod simile sit desidero.

V. 515: Denique ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas
Finitumst retroque pari ratione remensumst.

Hanc librorum scripturam duplicem ob causam Lachmannus corruptam esse docuit, primum quod 'gelidas hiemisque' ineptum esset, tum quia 'finitumst' et 'remensumst' nulla re adiecta quae finiretur ferri non posset. Quare, cum in *hiemisque usque* vocabulum latere putaret, hanc proposuit coniecturam:

Denique ab ignibus ad gelidas *iter usque* pruinas
Finitumst . . .

Atque illud quidem concedendum est, 'gelidas hiemisque' coruptum esse; de altera autem offensione dubitare saltem licet. Nam etiam alibi simili dicendi genere Lucretius usus est, velut I, 582 sq. haec posuit:

At quoniam fragili natura praedita constant,
Discrepat, aeternum tempus potuisse manere.

Quod propterea monui, quia si eandem subiecti, quod dicunt, omittendi libertatem hoc loco ei concedimus, paucis litteris mutatis v. 515 in integrum restitui potest:

Denique ab ignibus ad gelidas *hieme usque* pruinas
Finitumst retroque pari ratione remensumst.

Sic et *usque* elicitur et putidum illud 'gelidas hiemisque' removetur.

V. 960: Nam quare potius leti iam limine ab ipso
Ad vitam possint coniecta mente reverti,
Quam quo decursum prope iam siet ire et abire.

In his versibus primum 'conlecta' scribendum esse recte sane Lambinus indicavit. Tum Goebelius Quaest. p. 15 magnopere se offendi dicit verbo quod est 'potius', multoque aptius scribi putat 'setius', quod semel exstet VI, 315. Sed recte Lambinus haec artissime inter se cohaerere voluit: potius reverti quam abire, ut 'setius' ne ferri quidem possit: vitiatam prosodiam ut silentio praetermittam.

Sed etiam 'possint' nescio num recte Lachmannus mutaverit. Namque motus vitales, quoniam non modo 'vincunt saepe', sed etiam 'in suos meatus quicquid revocant', 'leti motum discutiunt', denique 'sensus accendunt', satis apte non porsus abire, sed ad vitam reverti dicuntur. Accedit quod, si Lachmannum sequimur, vix intellegi potest, quamnam rem 'reverti' velit poëta, quoniam 'animans' in v. 944 nimis longe ab hoc loco distat. Quae res Winckelmannum quoque et Briegerum permovit, ut 'possint' retinerent, quorum ille p. 15 de sensibus, hic in Philol. vol. XXV p. 88 de animantibus agi arbitrati sunt. Sed magis placet 'possint' ad eandem rem referre, de qua inde a v. 954 disputatur.

V. 996 quomodo cum proximis cohaereat, non intellego. Antecedunt enim haec: terra ubi humoris guttas recepit, fruges parit et arbusta et homines et feras:

Pabula *cum* praebet, quibus omnes corpora pascunt
Et dulcem ducunt vitam prolemque propagant.

At vero nemo explicavit, quid sibi velit 'terra parit, *cum* pabula praebet'. Nam Munroio non assentior sic interpretanti: 'it is said to give birth to man and beast by giving them food, without which parent first and then child could not exist a moment'. Quod eam ob causam improbo, quia non ideo homines et animalia terra parere dicitur, quod illis pabula praebeat, quibus vitam producere et prolem propagare possint. Immo terram ipsam quasi ex alvo suo animalia progenuisse V, 795 sq. luculenter demonstratur:

Linquitur ut merito maternum nomen adepta
Terra sit, ex terra quoniam sunt cuncta creata,
Multaque nunc etiam existunt animalia terris,
Imbribus et calido solis concreta vapore.

Tum ostendit pristina aetate multo etiam saepius factum esse, ut mortalia saecla e terra procrescerent. Cf. etiam V, 821 sq. Quae cum ita sint, non dubito quin etiam hoc loco terra, praesertim cum matris verbo ornetur, *primum* dicatur fruges animaliaque et peperisse et nunc parere, *tum* vero procreatis illis pabula praebere, ut ipsa prolem propagare possint. Quare non 'pabula *cum* praebet', sed 'pabula *tum*

praebet' scribi velim. Cogitavi etiam de altera emendandi ratione, ut v. 998 post 995 collocemus; sed illa quoniam lenior est, praeferenda videtur.

V. 1040: Desine quapropter novitate exterritus ipsa
Expuere ex animo rationem, sed magis acri
Iudicio perpende . . .

Novam se rationem expositurum esse v. 1023 sq. Lucretius pronuntiavit, tum, quomodo novitate rerum exterreri soleant hominum animi, exponit; v. 1040 denique ad initium disputationis revertitur atque Memmium, etiamsi ipse nimis quaedam nova praecipere videatur, ne *ipsam rationem* reiciat monet. Qua re 'ipse', si cum novitate coniungitur, prorsus inutile est; contra necessarium videtur ut ad *rationem*, in qua summa rei est, aliquid accedat, quo magis 'novitate' verbo eam oppositam esse eluceat. Quam ob rem 'ipsa' in 'ipsam' corrigendum est:

Desine quapropter novitate exterritus, *ipsam*
Expuere ex animo rationem.

Nam in 'ipsam' vocabulo, ad insequentem sententiam pertinente, in fine autem versus antecedentis posito nulla offensio est: cf. III, 79.


Epimetrum.

Diu est ex quo hanc commentatiunculam et scripsi*) et imprimendam tradidi, neque tunc vel Munroii opera tertiis curis retractata vel Lucretii editione a Bockemuellero parata uti licuit. Quorum ille nova in hoc quidem libro non multa, sed omnia ea qua solet iudicii subtilitate protulit, quamquam nihil inesse video, quo quae ego disputavi refelli dixerim. Bockemuellerum vero de v. 444 sq. transponendis mecum consentire non possum non gaudere; verum ut libere dicam quod sentio, talem ille Lucretium edidit, ut saepissime, utrum Lucretii legerem an Bockemuelleri carmina, nescirem: tam ille effrenata coniciendi licentia usus omnia commutavit, ut de innumerabilibus eius inventis hoc quidem loco tacere quam etiam uberius disputare satius ducam.

Sed oblata epilogi occasione unum liceat addere. Quod enim p. 4 Pollium de Briegeri quadam sententia non accurate rettulisse dixi, id cum iterum nuper accuratissimam eandemque utilissimam illius commentationem legerem, haud recte me protulisse cognovi, fortasse obscuritate quadam sermonis deceptum. Hunc igitur errorem meum ab ipsis lectoribus corrigi velim.

---

*) [i. e. mense Martio anni MDCCCLXXIII. F. R.]



Vita.

Natus sum Guilelmus Hoerschelmann a. 1849 die $\frac{13}{25}$ mensis Martii Oberpaliae, vico quodam prope Dorpatum sito. Fidem profiteor evangelicam. Iam prima aetate parentibus me carissimis orbatum patruus Ferdinandus et adoptavit et tam propenso in me animo educavit, ut gratias referre numquam possim. Postquam scholas frequentavi primum Verroviensem, tum Revaliensem, a. 1867 inter academiae Dorpatensis cives susceptus sum. Qua universitate a. 1870 relicta labefactatae valetudinis causa per quinque menses Tubingae commoratus, Gottingam transmigravi, ubi eximia praeceptorum benevolentia mihi concessit ut seminarii regii sodalis fierem. Iam insequenti anno in patriam revertendum erat, ut et candidati qui dicuntur honores capesserem et in gymnasiis docendi facultatem acquirerem. Qua re feliciter peracta Lipsiam me contuli, ubi ut diutius etiam quam exspectavi habitare possim, feliciter mihi obtigit. — Qui me instituerunt: Leo Meyerus, Ludovicus Schwabius, Pauckerus, Willmannsius, Struempellius; Adolphus Michaelis; Sauppius, Wachsmuthius, Benfeius, Leutschius; Ritschelius, Curtius, Leskinius: eorum memoriam grato pioque animo semper recolam. Praecipuae autem gratiae mihi agendae sunt cum Meyero Dorpatensi et Sauppio Gottingensi, tum vero maxime Friderico Ritschelio Lipsiensi, qui non modo studia mea benigne auxit atque confirmavit, sed etiam consilia mea ita moderatus est, ut ad eum mihi referendum sit, si quid olim proficere contigerit.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 849 0